



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

Disputatio LIII. De ijs, quæ Christus, prout in sacramento est, agere potest
aut pati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

inmis accidentis visibilis & alterius rationis ac ordinis. Ad secundum responderi potest, D. Thomam semper posuisse conclusionem cum illa reduplicativa, corpus Christi, prout est hic, videri non potest de corpore autem ipso absolute nihil dicit in litera articuli, tamen in solutione ad secundum plane explicat conclusionem, etiam de ipso corpore absolute & simpliciter, & ideo dicendum est, respectu visionis corporalis non posse separari corpus a modo, & ideo, si modus est inuisibilis, etiam ipsum corpus in sacramento est inuisibile, cuius rationem postea in disputatione tractabimus. Vbi etiam examinabimus, quomodo intelligendum sit id, quod ex solutione ad secundum afferebatur, oculum scilicet, Christi in sacramento videre seipsum, proprie enim ac per se loquendo fortasse verum non est, sed ad summum per concomitantiam: sensus autem D. Thomae: quoad hoc melius cum re ipsa explicabitur; Maior difficultas esse videtur in prima ratione, quid enim refert, quod accidentia corporis Christi sint hic mediante substantia, vt non possint medium immutare? nam illa mediatio solum esse potest in causalitate, seu in fieri, quatenus accidentia hic sunt per concomitantiam cum substantia corporis Christi, tamen ita sunt; vt ipsa reuera hic sunt tam proprie sicut ipsa substantia. Vnde in facto esse dici possunt immediate hic esse per propriam presentiam: ergo illa mediatio nihil obitare potest, quominus talia accidentia possint medium immutare, sicut etiam anima, vt anima est, mediante corpore, & omnia accidentia existunt mediante substantia, vel quantitate, quod non impedit actiones eorum. Deinde obsecrum est, quid sit, accidentia corpori Christi, aut corpus Christi mediis suis accidentibus non habere habitudinem immediatam ad medium, quod species sacramentales circumstat: quae est enim haec habitudo? aut enim est habitudo agentis ad passum, & sic petitur principium, aut est habitudo propinquitatis & indistantiae, & sic falsum est, quod assumitur, nam accidentia corporis Christi reuera habent immediatam habitudinem presentiae ad circumstantia corpora. Respondetur propriam causam & radicem, ob quam haec accidentia non sint actiua propriarum specierum visibilium esse, quia non sunt hic modo naturali, & quantitativo, vt infra dicemus, & hoc ipsum circumscriptum D. Thom. illis verbis declarando causam, ob quam illa accidentia habent talem existendi modum, scilicet, quia sunt mediante substantia corporis, quod ex vi conuersionis, per quam hic ponitur, est hic per modum substantiae: itaque sola mediatio causalitatis non sufficeret ad impediendam actionem, vt probat argumentum, sed illa mediatio, qua trahuntur accidentia ad supernaturalem modum existendi ipsius substantiae. Et hoc ipsum significare voluit D. Thom. addens: Ita quod accidentia corporis Christi non habent immediatam habitudinem ad corpus circumstantis: quae verba non intelliguntur de habitudine agentis & passivi, nec de communi habitudine presentiae, vt ratio est facta probat, sed de habitudine coextensionis, seu commensurationis, aut continentiae, seu contactus quantitativi, quae est conditio necessaria ad physicam actionem.

Secunda assertio D. Thomae est, corpus Christi, vt est in hoc sacramento, esse visibile ab intellectu diuino, & ab intellectu creato supernaturaliter eleuato per visionem beatam, non tamen ab intellectu creato virtute naturali. Prima pars relinquitur a D. Thom. vt per se nota. Secunda etiam clara est, solum est aduertendum, licet D. Tho. addat illam particulam (per diuisionem diuinam essentiae) non tamen esse restringendam conclusionem ad solam illam formaliter: ac si presentia corporis Christi in hoc sacramento solum possit videri in Verbo per ipsam formalem visionem Verbi: est enim hoc falsum, & Franc. Suarez Tom. 3.

sine fundamento: nam etiam potest videri in proprio genere per species & lumen infusa, sicut alia supernaturalia entia: non enim hic modus presentiae magis supernaturalis est, aut infinitus. Item, quia virtus diuini intellectus ad videntiam hanc presentiam sufficienter participari potest per claritatem & speciem supernaturalem, proportionatam, & accommodatam tali rei. D. Thom. ergo, vel, gratia illustrioris exempli, visionis beatae meminit, vel cum dicit, [per visionem] intelligit, vel formaliter, vel causaliter: omnis enim scientia per se infusa supernaturalium rerum censetur; saltem secundum legem ordinariam esse propria beatorum, & causari aliquo modo ex visione Dei. Tertia pars conclusionis, vt probata relinquitur a D. Thom. ex eo, quod modus existendi Christi in sacramento, est penitus supernaturalis: quod a huiusmodi est, cognosci non potest ab intellectu creato virtute naturali: de qua re fusus statim est disputandum.

DISPUTATIO LIII.

De his, quae Christus agere potest, aut pati, prout hic est in sacramento.



Ostquam tractauimus, An sit, quid sit presentia sacramentalis Christi, & quibus rebus & quomodo conueniat, sequetur dicendum de proprietatibus quae illam consequuntur: haec autem nulla sunt praeter relationes quasdam propinquitatis vel distantiae, aut similes: de quibus in superioribus actum est, nihilq; addendum occurrit: solum igitur superest dicendum de actionibus & passionibus, quae possunt Christo Domino conuenire ratione huius presentiae, seu mediante illa; completumur autem non solum transientes actiones, sed etiam immanentes, nec solum propriam mutationem seu receptionem, sed etiam denominationes illis similes extrinseca actione immanente prouenientes, vt esse visum, cognitum, & cetera. vt hoc modo disputemus omnia, quae D. Thomas in his duobus vltimis articulis attigit.

Disputatio decima quinta de Eucharistia.

SECTIO I.

Vtrum corpus Christi, prout est in hoc sacramento possit localiter moueri.

VT a quaestione de modo loquendi abstinemus, supponendum imprimis est, hic non esse sermonem de motu proprie physico, qui requirit extensionem secundum partes subiecti in ordine ad spatium & terminatur ad Vbi quantitatum, seu circumscriptum: constat enim, corpus Christi non esse hic mobile hoc genere motus, cum hic non habeat illum extensionis seu locationis modum: agimus ergo de motu proportionato sacramentali presentiae, quem possumus etiam sacramentalem, & quasi immaterialem appellare. De quo omnes conueniunt, posse corpus Christi aliquo modo hic mutari, quomodo autem vel a quo, id a nobis explicandum est. Nam de modo Caieta. hic ait, solum dici mutari per denominationem extrinsecam propter mutationem, quae fit in speciebus: de motore autem Scot. d. 10. & Gab. lect. 47. in Can. existimant, a nemine moueri, nisi a Deo, vel a seipso, neque per se, neque mediis speciebus, quia tractus seu motus speciebus, non necessario trahitur, vel mouetur Christi corpus virtute naturali. Quo fit vt iuxta hanc opinionem, non possit Christi corpus per accidens moueri etiam ab ipso Deo, quia nulla est inter species & Christum colligatio sufficiens ad hoc genus motus, poterit ergo tantum per se moueri ab habente superiorem virtutem.

Caietan. Scotus. Gabriel.

Aliorum vero sententia, & communior est, corpus

pus Christi, ut est hic, à nemine posse per se moueri, nisi fortasse à Deo miraculose, per accidens autem posse moueri à quocumq; agente, qui virtutem habeat ad mouendas localiter sacramentales species. Hæc videtur esse sententia Diui Thomæ hic, quem sequuntur Paludanus & Capreolus distinctione decima, quæst. tertia, Richardus articulo quarto, quæstione prima. Gabriel quæstione vnica, articulo tertio, dubio quarto, Marfilius quæst. 7.

Palud.
Capreol.
Richard.
Gabriel.

1. Conclus. Dico primò, Corpus Christi existens in hoc sacramento mutari potest secundum localem præsentiam mutatione propria & in ipsum corpore Christi recepta. Hæc conclusio, quoad mentem Diui Thomæ probata est in commentario articuli sexti: quoad rem verò ipsam probata est supra disputatione quadragesima septima, sectione quarta, quod hic repetere non est necesse.

2. Conclus. Dico secundo, corpus Christi, prout est in hoc sacramento, potest per se moueri localiter à Deo. Loquor de potentia absoluta, nam iuxta legem statutam suppono, corpus Christi nunquam separari ab speciebus, nec moueri, nisi motis illis: si autem Deus vellet in hac lege dispensare, posset transferre corpus Christi in alium locum, relinquendo ibi species, vel constituendo Christi corpus sub aliis accidentibus, vel sub nullis, quia in his omnibus nulla est contradictio neque repugnantia. Posset etiam simul quidem mouere totum sacramentum, ut ex Christi corpore & speciebus sacramentalibus constat, imprimendo tamen primò ac per se motum in corpus Christi, & efficiendo, ut ipsum corpus concomitanter, & per accidens secum traheret species: nam in hoc etiam nulla est difficultas, supposita vnione, quam supra diximus, esse inter corpus Christi & species: neq; in hac conclusione inuenio difficultatem vllam, nec Theologum aperte contradicentem.

3. Conclus. Dico tertio, Corpus Christi, ut est in hoc sacramento non potest naturaliter moueri localiter ab intrinseco à propria anima, & interna virtute motiua naturali, neq; per se, neq; per accidens: Loquor de naturali virtute, quia, si anima Christi consideretur, ut instrumentum Verbi, & operetur per virtutem miraculorum effectricem, potest suum corpus in hoc sacramento exirens primario mouere, vel deferendo species, vel secum illas deferendo: quia sicut non repugnat, hoc fieri à Deo, ut principali operante, ita neq; in creatura, ut in instrumento eius: quia non est in hoc maior repugnantia, quam in aliis supernaturalibus effectricibus, in quo genere communicata est Christi humanitati omnipotentia quædam instrumentalis, ut in primo tomo huius tertie partis dictum est. Quocirca licet nunquam fuerit Christus vsus hac potestate priori modo, id est, deferendo species, & non corumpendo, nec transmutando illas: quia hoc neq; ab hominibus videri poterat, neq; sciri, nisi per reuelationem, neq; ad fidei confirmationem vtile esse poterat, cum non posset sensibus percipi, nec fortasse expediens, quia magis necessarium est, statutam legem de reali præsentia Christi, durante speciebus, esse omnino infallibilem, & immutabilem, nihilominus tamen existimo alio posteriori modo, scilicet deferendo secum species interdum fuisse Christum vsus hac potestate. Legimus enim interdum hostiam consecratam nullo deferente sua sponte fuisse motam, vel ad aliquem iustum & Dei amicum, ut communicare posset, ut de Sancta Catharina Senensi, & de aliis refertur, & legi potest Sozomenus libr. sexto Histor. capit. vigesimo nono, vel ut infidelium iniuriam euitaret, & pertinaciam confunderet. Quamquam enim dicere quis posset, in his casibus moueri species consecratas ab Angelis, tamen etiam potuit Christi corpus interno impetu ferri, secumq; species deferre. Quod autem hoc fieri non possit naturali animæ virtute, probatur, quia non potest anima mo-

uere corpus suum, nisi per membra organica, quibus non potest uti, ut in hoc sacramento sunt: quia naturalis motus horum membrorum requirit extensionem eorum in loco, ita ut in diuersis locis partialibus existant, & vnum impellat aliud: membra autem corporis Christi non existunt hoc modo in hoc sacramento.

Dices, hanc rationem solum procedere de motu progressiuo, aut ei simili, in quo necesse est, vnâ partem prius moueri, quam aliam, & aliquam quiescere, ut alia moueantur, non autem in motu simplici aut impulsiuo, ut ita dicam, qui vno impetu fit, ad quem non est necessaria extensio organorum in loco, sed sola vis imprimens impulsium seu motum.

Respondetur, non posse animam mouere corpus suum hoc genere motus: duobus enim tantum modis potest à nobis hic motus intelligi, scilicet, aut per aliquem vehementem contactum physicum, aut per imperium efficacius voluntatis habentis huiusmodi virtutem motiua sibi subordinatam. Primus autem modus non habet locum in toto corpore humano, respectu sui ipsius: quia non potest idem corpus secundum se totum, seipsum contingere, ut per se constat: quia contactus supponit distinctionem, vel saltem existentiam quantitativam in loco, & multiplicationem illius: & ideo, quamuis secundum diuersas partes possit aliquo modo ad ima impellere corpus suum, ut per saltum, tamen ad hoc ipsum necessaria est extensio partium in loco & aliquod genus contactus physicus vel partium inter se, vel cum corpore circumstante, & ideo huiusmodi motus non potest habere locum in corpore sacramentaliter tantum existente. Secundus etiam modus mouendi est præter virtutem naturalem animæ informantis corpus: non enim potest anima solo imperio voluntatis, vel appetitus totum suum corpus transferre ab vno loco in alium, ita ut nec moueat vnâ partem, mediante alia, sed totum per se primò; nec corpus ad illum motum concurrat, sed tantum passiuè recipiendo illum, tota verò efficientia sit in anima, quamuis enim huiusmodi genus motus repugnantiam non inuoluit, ut aliqui putant, & supernaturaliter communicetur corporibus gloriosis, ut præcedente tomo dixi, tamè ipsa experientia docet, & excedere naturalem animæ virtutem.

Constat igitur, non posse corpus Christi, ut est in hoc sacramento, seipsum per se mouere virtute naturali, & inde à fortiori sit, neque per accidens posse, quia multò minus potest mouere ipsas species sacramentales, quas, nec physice contingere potest, ut ex supra dictis patet, neque ad naturam voluntatis mouere, loquendo de virtute naturali: vtrumq; enim per se satis clarum est.

Dico quartò, Corpus Christi, ut est in hoc sacramento, non potest naturaliter per se moueri ab alio, qua virtute naturali seu agente extrinseco, id est, primario illi imprimendo motum, & non per species. Hæc conclusio de agentibus corporalibus est per se manifesta, quia hæc non possunt mouere alia corpora, nisi aut trahendo quod faciunt [ut creditur] per viam aliquam alterationem, impressionem alicuius qualitatis, aut impellendo, quod faciunt per contactum physicum: neutro autem modo possunt mouere corpus Christi immediate & per se, quia, neq; illud possunt tangere, ut sæpe dictum est, neque alterare, ut sectione sequente dicam. De virtute autem motiua angelorum potest esse nonnulla dubitatio: quia illi possunt mouere corpus, sine physico contactu, per virtutalem, medio voluntatis imperio, nec solum corpora, sed etiam spiritus sic mouere possunt: cur ergo non poterunt mouere etiam Corpus Christi hic, si supernaturali virtute non resistat? Nihilominus etiam de angelica virtute videtur probabiliter conclusio posita, quia dupliciter intelligi potest Christum hinc mutari: primò, purè priuatiuè, amittendo

rendo presentiam, quam hic habet, & nullam aliam acquirendo, & hoc non potest fieri ab angelo: quia huiusmodi mutationis genus non potest fieri per actionem positivam: quia necesse est, ut omnis positiva actio tendat ad aliquem terminum positivum, quod est contra rationem mutationis pure privativae: solum ergo potest fieri per ablationem concursus, vel alicuius causae conseruantis: angelus autem nullum influxum habet in hanc presentiam corporis Christi, quem auferre possit: nec aliquam causam afferre potest, quae illa presentiam pendeat, nisi fortasse species sacramentales: à quibus si mutatio incipiat, iam non per se fiet in corpore Christi, ut nunc loquimur. Alio modo potest fieri haec mutatio, scilicet, efficiendo in corpore Christi, aliam presentiam incompossibilem huic, & sic mutando illud: sed neque ad hoc habet angelus naturalem virtutem: quia illa presentia est supernaturalis huic corpori: ergo non potest fieri ab angelo naturali virtute. Dices, quamuis hic modus presentiae sit supernaturalis corpori Christi, & ideo non possit angelus illum efficere in corpore Christi, nisi in eo praesupponatur, tamen postquam Christi corpus supponitur, tamen existens, non videtur adeo supernaturale, vel difficile, illud corpus transferre ab vno loco in alium, mutando habitudinem ad spatium, & propinquitatem, vel distantiam ad alia corpora. Respondetur: Si huiusmodi presentia, secundum speciem suam, superat naturalem virtutem angelicam, in quolibet indiuiduo superabit: quia, & tota species clauditur in quolibet indiuiduo, & actio per se primo circa indiuiduum versatur: sicut ergo angelus non potest virtute naturali conferre corpori primam sacramentalem presentiam, ita neque corpori iam habenti vnam presentiam sacramentalem, potest dare alteram, ut priorem auferat: quia non est minus supernaturalis secunda, quam prima, & quod prima praecesserit, nihil refert: quia nec dedit corpori naturalem aptitudinem ad similem presentiam modum, neque auxit virtutem causae agentis, nec minuit perfectionem, aut difficultatem effectus: nam ipsam presentiam prior appetit suam conseruationem, & suo modo resistit formaliter alteri presentiae sibi incompossibili: excedit ergo hic effectus naturalem virtutem etiam angelorum.

Dico vltimo, Supposita institutione huius sacramenti, prout facta est, potest corpus Christi per accidens moueri ab eo, qui potest species consecratas secundum locum mutare. Hoc saepe est in superioribus tactum, quia alias, nec Sacerdos posset eleuare corpus Christi, nec nos manducaremus illud. Ratio autem conclusionis reddenda est ex vnione supra posita inter corpus Christi, & species sacramentales: communicatur enim diuinitus his speciebus virtus trahendi, & coniungendi sibi corpus Christi, & consequenter conseruandi sacramentalem presentiam eius, & efficiendi aliam similem, quod in superioribus probatum est. Hinc autem fit, ut moris speciebus, prout naturaliter moueri possunt ab agente naturali, illae secum deferant corpus Christi, quod propterea dicitur per accidens moueri ab eo, qui mouet species, quia licet reuera fiat mutatio in ipso corpore Christi, illa per se & immediate fit ab instrumentaria virtute specierum, ab alio autem non nisi remote, & per accidens. Seclusa autem hac virtute, & connexione inter species, & corpus Christi impossibile esset, agens aliquod creatum mouere corpus Christi, etiam per accidens: cum quia nulla esset ratio, cur Christi corpus comitaretur motum specierum, si cum eis non esset dicto modo coniunctum, tum etiam, quia, quomodo cumque Christus dicatur moueri, per se, aut per accidens, necesse est, ut mutet presentiam, & quod vnam amittat, & alteram acquirat: ergo necesse est, ut aliqua virtute fiat talis presentia: non potest au-

Franc. Suarez Tom. 3.

tem fieri naturaliter virtute per se, ut probatum est, nec per accidens, nisi sit aliqua ex causa, quae per se illam efficiat: cuius actio resistit ex naturali mutatione alterius agentis naturalis: haec autem causa non potest esse, nisi species sacramentales, ut per se notum est. Ex quo discursu vterius concludo, ad huiusmodi mutationem per accidens corporis CHRISTI, ut fieri possit ab agente naturali, non sufficere formalem vnionem inter ipsum & species, non solum, quia illa fortasse est impossibilis, ut supra dixi: sed etiam, quia licet admitteretur, illa sola esset insufficientis ad hunc effectum sine vnione effectiua. Quia quantumuis corpus Christi, & species dicantur esse formaliter vnita, semper tamen manent distincta, habentque presentias omnino diuersarum rationum: nam in speciebus est quantitatiua, & naturalis: ergo, ut hoc compositum ex corpore, & speciebus possit moueri, necesse est, ut in mouente sit virtus actiua vtriusque presentiae, quam non habet agens creatum naturali virtute: ergo, si in ipsis speciebus non esset virtus actiua in corpus ad trahendum illud, non posset extrinsecum agens mouere totum hoc compositum ex corpore & speciebus: quare consequenter potius dicendum esset, non posse moueri ipsas species, quia nec posset dissoluere vnionem, nec cum speciebus trahere corpus Christi: est ergo necessaria haec effectiua vnio. Et ideo dixi in conclusione, supponendam esse institutionem, & vnionem inter corpus & species, qualem factam esse censemus. Dices, etiam supposita hac vnione effectiua, non sequi ex illa corpus Christi posse naturaliter moueri, sed potius sequi, ipsas species non posse naturaliter moueri ab agente naturali, quia illa vnio & coniunctio est sufficiens ad resistendum illi, & quia ex motione naturali non potest necessario sequi supernaturalis mutatio, & quasi attractio corporis Christi. Vel certe alia ratione videri hoc potest supra virtutem naturalis motoris, quia quantitas est hic separata à substantia, & ideo non videtur naturaliter capax mutationis localis ab agente physico naturali, magis quam esset sola substantia sine quantitate existens.

Respondetur ad priorem partem, negando assumptum: quia nec ex parte corporis Christi, nec ex parte specierum, est in hoc aliqua resistetia, supposita namque praedicta institutione, species necessitate quadam simili agentibus naturalibus semper trahunt ad se corpus Christi, & agunt seu conseruant presentiam eius: cui actioni corpus Christi non resistit, sed per obedientialem potentiam eam cum indifferentia recipit: consequenter, quando mouentur species, neque ipse resistunt illi motui ratione praedictae actionis, quia non priuantur illa, & virtus earum indifferens est ad hanc numero presentiam, vel aliam similem efficiendam, nec corpus etiam Christi resistit speciebus, ut dictum etiam est, nec motoriarum: quia, cum hic non existat modo quantitatiua, nec ratione ponderis aut grauitatis, neque alio titulo potest resistere. Neque mirum est, quod ex naturali motione per accidens sequatur aliqua naturalis actio, tanquam à causa applicante: sic enim species sacramentales applicatae ad hanc, vel illam animam, diuersam numero gratiam in illis efficiunt: atque ita in presente applicatae per motum localem ad hunc vel illum locum, sed ad hoc vel illud spatium, consequenter efficiunt hanc vel illam numero presentiam in corpore CHRISTI. Ad posteriorem partem respondet Diuus Thomas hoc articul. 5. ad 2. quantitatem separatam à substantia, hoc ipso, quod miraculose subsistit, naturaliter replere locum, in quo est, & ideo naturaliter etiam posse impelli & moueri: quia naturaliter resistit alteri corpori in eodem loco, & naturaliter etiam posse trahi, sicut potest etiam tangi & alterari. Et ideo non est simile de substantia carente quantitate, quia illa non ita repleret locum, ut posset tangi, aut alterari.

lii 3 SECTIO

SECTIO II.

Vtrum corpus Christi, prout est in hoc sacramento, aliquam aliam actionem physicam efficere possit, vel recipere.

NON agimus de Christi corpore glorioso, quod propter dotes gloriæ inalterabile est, & impassibile propria passione corruptiuum: sed agimus de CHRISTI corpore solum secundum suam præcisam naturam considerato, & sub speciebus sacramentalibus constituto, prout in nocte cenæ fuit. De quo potest tractari hæc quæstio in ordine ad absolutam Dei potentiam: & sic etiam non habet difficultatem: quia DEVS in actione sua non pendet à loco, tempore, aut modo existendi. Vnde sine difficultate posset qualitatem quamcumque imprimere in corpus CHRISTI, simul illam efficiendo, & modum sacramentaliter existendi illi præbendo. Eadem ratione posset Christi corpus corrumpere, & in illa materia aliam formam introducere, vel etiam posset illo corpore uti ut instrumento ad quamcumque actionem efficiendam circa alia corpora: sicut nunc illo utitur ad sanctificandas animas eorum, qui illo vescuntur: & iuxta aliquorum sententiam, etiam in eorum corpora aliquam actionem habet, ut, vel ad statum gloriæ, vel ad virtutem operandam, melius illa disponat, in quo saltem certum est nullam esse repugnantiam: quia Deus non requirit in instrumento suo extensionem in loco. Omnia ergo quæstione de diuina potentia, præsens disputatio solum est de naturali virtute, de qua est prima sententia generatim affirmans posse naturalia agentia, alterare & immutare Christi corpus in hoc sacramento existens, ipsumque similiter posse extrinseca corpora propinqua alterare per calorem suum, frigiditatem & similes qualitates. Ita sentiunt Nominales. Ocham in 4. qu. 4. Alico. q. 5. artic. 2. Maior, dist. 10. q. 5. Gabr. lect. 45. in Canonem. Ratione: quia Christi corpus non fit incapax harum actionum vel passionum propter modum existendi in sacramento, sed nihil est aliud, quod possit hanc actionem & passionem impedire: ergo probatur maior, quia localis præsentia, respectu actionum & passionum solum requiritur, ut conditio necessaria, ut agens & passum sint propinqua: sed quod huiusmodi præsentia sit sacramentalis, non impedit hanc propinquitatem: sed illam quodammodo auget: nam, dum tota res constituitur in qualibet parte, & in quolibet puncto loci, tota secundum omnem suam partem est propinquior agenti, vel passo: ergo non est cur hic modus præsentia actionem vel passionem impediat: sicut, si duo corpora essent in eodem loco penetratiuè, ille existendi modus mutuam inter ea actionem non impediret, sed augeter potius: ignis enim velocius combureret lignum sic intime penetratū, quam in superficie tantum applicatū. Atque eadem ratione possent illa duo corpora simul agere in aliud sibi propinquum, & ab eodem pati, si sufficiens virtus agendi in illo esset: idem ergo dicunt hi authores de corpore Christi, præsertim cum existiment, sacramentalem eius existendi modum solum in quadam omnium suarum partium penetratione consistere. Dices, accidentia panis posse impedire huiusmodi actionem vel passionem naturalem. Sed hoc nullius momenti est, tum, quia ipsamet accidentia sunt capacia huius actionis & passionis, ut q. 77. dicitur, tum etiam quia corpus Christi æque est præsens seu propinquum circumstantibus corporibus, ac ipsa sacramentales species.

2. Sententia negat.

Secunda sententia extreme contraria, negat Christi corpus sacramentali modo existens, esse naturaliter capax huiusmodi actionum, & passionum. Ita sen-

tit D. Thom. hic, & infra, q. 91. artic. 4. Scotus in 4. d. 10. q. 9. Richard. art. 5. q. 2. Palud. q. 4. Capreol. qu. 4. art. 3. ad arg. Scoti contra 1. concl. vbi plura D. Thom. testimonia congerit. Carth. quæst. 4. Marfil. q. 8. artic. 3. Ægid. Theorem. 46. de Eucharist. & omnes moderni: qui non afferunt aliud fundamentum, nisi quia modus existendi in loco quantitatiuus & connaturalis corporibus, est necessaria conditio ad huiusmodi actiones & passiones: quia hæc naturalia agentia agunt per contactum. Et hæc sententia mihi probatur, non videtur tamen aque certa de actionibus, sicut de passionibus.

Dico ergo primò, corpus Christi, ut in Eucharistia existit, nihil pati posse ab extrinsecis agentibus sola naturali virtute operantibus. Probatur primo ex fundamento adducto, quod est probabile. Secunda ratio etiam probabilis adiungi solet, quia corpora non patiuntur naturaliter, nisi per quantitatem, sicut & contrario, agentia naturalia non agunt immediate in substantiam, sed in quantitatem: sed corpus, prout in hoc sacramento existit, supplet vicem substantiæ panis, & ideo quantitas eius est etiam hic per modum substantiæ: vnde tamen media quantitate panis actionibus exteriorum agentium subicitur: ergo illa solum possunt agere in hoc sacramento, ratione quantitatis panis, non vero in corpore Christi, & in quantitate eius immediate & secundum se. Tertia vero ratio est, quæ mihi videtur potissima, & maxime rem declarans: nam huiusmodi actio naturalis agentis, cum sit transiens, recipitur in passo, sicut & terminus eius: omne autem quod recipitur, ad modum recipientis accommodatur, ut ergo talis actio posset recipi in corpore Christi, deberet recipi per modum eius, ita ut sicut ipsum est indiuisibile præsens & totum in qualibet parte, ita actio, vel qualitas, quæ in eo ferret, acciperet similem indiuisibilem præsentia modum, & tota esset præsens in qualibet parte spatij seu specierum sacramentalium: sed nullum agens naturale potest efficere actionem suam vel terminum eius cum tali modo existendi: nam, sicut corpus natura sua postulat modum existendi in loco extensa, ita etiam qualitates & passiones eius, & sicut hic modus sacramentalis est super naturalis corpori, ita & qualitates & actionibus eius: agentia autem naturalia, nihil supernaturale efficere possunt virtute naturali: ergo non possunt efficere actionem, passionem, aut qualitatem, cum tali modo: ergo absolute non possunt hæc efficere in corpore Christi in Eucharistia existente. Pater consequentia, quia non possunt hæc fieri in corpore Christi sine tali modo. Quaratio eadem fere est cum illa, quam probauimus scilicet præceden. non posse agens naturale mouere localiter corpus Christi, ut est in hoc sacramento: & propter eandem dicebamus in superioribus, qualitatem factam in corpore Christi in propria specie existente, non posse per concomitantiam poni in hoc sacramento ex sola virtute agentium naturalium. Atque hinc ulterius sequitur, inter heterogeneas partes corporis Christi, prout in hoc sacramento existit, non posse esse mutuam actionem & passionem: quia omnes hic sunt indiuisibili modo, sicut totum: vnde & qualitates earum eodem modo existunt, & si de nouo recipiantur, ad eundem modum recipi debent: & ideo, sicut non possunt recipi in toto per virtutem naturalis agentis, ita neque in parte: igitur neque vna pars potest pati ab alia: est enim eadem ratio, cum partes ipsæ etiam operantur: sunt per solam naturalem virtutem. Atque hinc ulterius fit, corpus Christi, ut est hic, non posse nutrir, augeri, aut minui: tum, quia hæc non sunt naturaliter sine alteratione partium corporis Christi, ostensum est autem non posse alterari: tum etiam quia non potest illi applicari nutrimentum per inensumptionem, prout ad vitalem nutritionem necessarium est, & quæuis hinc agimus

1. Sententia affirmat.

*Ocham.
Alico.
Maior.
Gabriel.*

mus, Nutrimentum diuinitus applicari, oporteret exilire modo indiuisibili, si cut exilitit Corpus Christi: alioqui non posset esse intra illud: si autem applicatum non magis pati posset, quam ipsi sumer corpus Christi: non posset ergo alterari, distribui, aut in Corpus Christi conueri: non potest ergo Corpus Christi, vt est hic, naturaliter nutrir, & consequenter neque augeti: quia auctio intrinsece requirit nutritionem, nec minui, quia diminutio requirit proprum partium alterationem. Vnde tandem fit: nō posse Christi Corpus: prout est hic, corrumpi, seu interitici: quia, neque ab intrinseco corrumpi potest, cū inter partes eius nulla possit esse actio: neque ab intrinseco per alterationem, quæ est illius in capax: nec per diuisionem seu partium sectionem: quia hæc non fit naturaliter, nisi per motum localem vel interpositionem alterius corporis, quæ necessario supponit extensionem in loco, præter hos autem modos nullus est alius, quo humanum corpus corrumpi possit. Et fortasse hoc sentit dixit Hugo de Sancto Victore quem in superioribus citauit, in nocte cœnæ fuisse Corpus Christi in sacramento impassibile: nam potuit hoc dici non propter dotem gloria, quam Christi corpus tunc non habuit, sed propter modum existendi, vt declaratum est.

Probabile est
 Dico secundo, probabile est Christi corpus, vt est in hoc sacramento, non posse naturaliter habere actionem transeuntem in extrinsecum corpus: quia enim transeuntis actio recipitur in passio, non vero in agente: vnde ut, vt necessario recipiatur ad modum patientis, & consequenter, vt participet modum existendi eius: non est autem necesse, vt induat modum existendi agentis, quia non est in illo, sed ab illo: ab eo autem, qui exiit modo spiritali, potest manare actio corporali extenloque modo recepta in passio: quia, quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur. Quamuis ergo Corpus Christi sit supernaturali modo in Eucharistia, posset ab illo prodire actio, non recipiens illum modum: ergo ex hac parte non repugnat, huiusmodi actionem fluere à corpore Christi: hæc autem erat potissima fluere à corpore ipsa passione: nam altera ratio de receptione passionis, media quantitate, non habet hic locum: quia immediata ratio agendi non est quantitas, sed qualitas aliqua: alia vero ratio de contactu quantitatu non videtur admodum vrgens: nam hic contactus non est per se simpliciter necessarius, sed solum, supposita imperfectione modi existendi in loco, quem habent corpora: absolute tamen sufficit virtualis contactus cum sufficiente propinquitate per realem presentiam, vt patet in agente spiritali. Igitur, quod agens naturale nunc debeat esse extensum, quamquam ex natura rei necessarium sit, non tamen ex necessitate ipsius actionis, seu virtutis actiue, vt sic, sed ex necessitate materiæ, ratione cuius non potest corpus naturale alio modo naturaliter existere. Hæc igitur est dubitandi ratio, quæ certe ostendit & prædictas rationes in presente non conuincere, & rationem Nominalium, quoad hanc partem, esse probabilem. Nihilominus probatur conclusio, primo, quia in re incerta non est recedendum à communi sententia, quæ grauiores Theologi sequuntur. Secundo, quia de facto constat experientia, corpus Christi non alterare species sacramentales sub quibus est, nec corpus tangens, aut recipientis ipsum: non est autem hoc tribuendum soli Christi voluntati, aut speciali miraculo, si supposito priori mysterio, potest huius effectus probabilis & naturalis ratio reddi: non enim facile sunt multiplicanda miracula. Tertio, quia probabile est, sicut corpus, & qualitas naturalis, natura sua possulant extensum modum occupandi locum, vt existere possint: ita eundem modum postulare, vt naturaliter agere possint, quia modus agendi consistit

quitur modum efficiendi: & quia materiale agens & patiens debent esse proportionata, & quia actio ipsa, cum sit materialis & extensa, videtur eam conditionem postulare in agente proportionato, & eiusdem ordinis.

SECTIO III.

Vtrum Christus, prout est in hoc sacramento, possit virtute naturali actus immanentes exercere.

Distinguiamus tres ordines horum actuum: scilicet, sensuum externorum: interiorum cum appetitu sensitiuo intellectus cum voluntate: & supponamus, non esse hic sermonem per concomitantiam, sed per directum & primarium vsum harum potentiarum in hoc sacramento. De sensibus ergo exterioribus Nominales citati sectione præcedente consequenter concedunt, posse hic Christum videre, audire, &c. quia, si ab aliis agentibus pati potest, multo facilius poterit recipere ab obiectis sensibilibus intentionales species: & si in alia agere potest, etiam actione materiali, multo magis poterit agere in se ipsum actione quodammodo immateriali, qualis est sensatio. Alii vero consequenter etiam negant, posse Christum in hoc sacramento exercere huiusmodi actus: & sunt nonnulli, qui etiam de potentia Dei absoluta, negant id fieri posse: quia fieri non potest, vt Corpus inextensum in loco videtur ac alius: ergo etiam fieri non potest, vt ipsum alia videat.

Varia opinio- nes circa que- sitionem han-

Natura istius non potest Christus exercere actus sensuum externorum vt est in sacramento Eucharistia. Egidius Henricus Antonius.

Dico tamen primo, Christus, vt est in hoc sacramento, non potest naturaliter exercere actus sensuum externorum. Ita tenet Diuus Thomas, & alii auctores, & præterea Egidius Theorem. decimo sexto, Henricus quodli. 5. questione 6. Antonius. 3. par. titulo 13. capite 6. §. 13. Et probatur duplici via iuxta principia posita. Prima via est ex parte specierum, quia non possunt sensus Christi hic existentis recipere has species ab obiectis externis: sine illis autem non possunt actus elicere, vt supponitur ex libris de Anima. Assumptum patet, quia pati non potest ab extrinsecis agentibus, vt ostensum est: eadem autem ratio est de his speciebus, quia etiam illa natura sua peunt extensionem in ordine ad locum, vnde etiam modus existendi in hoc sacramento est illis supernaturalis: vnde fieri non potest naturaliter ab obiectis. Secunda ratio sumitur ex parte ipsorum actuum, idque duplici titulo: scilicet, quia etiam hic actus est materialis & extensus natura sua: hic autem recipitur in corpore Christi modo indiuisibili, & supernaturali: & præterea, quia hic actus est effectus ab ipsomet sensu, qui etiam est potentia materialis & extensa. Vnde natura sua requirit modum extensum & diuisibilem, vt operari possit, de qua ratione, plura statim. Atque ex his rationibus hæc CHRISTI oculum in hoc sacramento, sicut non potest alia videre, ita nec posse seipsum, nec suum corpus videre: & idem est de tactu, & de quolibet alio sensu; nam rationes factæ eodem modo hic procedunt: quia etiam respectu proprii corporis non est aptus oculus hic existens, vt immutetur per speciem: atque efficiat actum, neque etiam, vt tribuat illi modum supernaturalem existendi. Addi etiam posset alia ratio ex parte obiecti: de qua dicam sectione sequente. Alias vero addunt Henricus & Scotus sumptas ex principiis Perspectiue, quæ in eis videri possunt.

Dico secundo: de potentia absoluta nihil repugnat, quominus sensus Christi externi hic exercent suas operationes: neque est improbabile, id facere nunc circa obiecta propinqua. Nam primo supra diximus, verisimilius esse habere hic Christum per concomitantiam species, & actus sensuum externorum

Supernaturali cor potest Christus in Eucharistia externorum sensuum a- ctus elicere-



norum, quos habet in celo: sicut ergo hic recipit species distantium obiectorum, eorum scilicet, quæ in celo quantitatiuo modo existens videtur, ita potest recipere species propinquorum obiectorum, vel Deo per se illas conferente, vel eleuante obiecta ad efficiendas illas: in neutro enim horum est maior repugnancia: & uterque modus sufficeret ad sentiendum per tales species, quantum est ex parte earum, etiam si Christus alibi non esset quantitatiuo modo, vel si ibi non reciperet tales species: id enim impertinens est ad operandum hic per species hic receptas. Rursum eadem ratione potest Deus eleuare virtutem actiua oculi, vel ad agendum, sine extensione connaturali, vel ad efficiendum actum, dando illi modum indiuisibilem, & supernaturalem existendi. Nam in hoc nulla est etiam repugnancia maior in actu hic directe facta, quam in actu, qui ponitur hic per concomitantiam: quia etiam ille sit a potentia, vt est h. c. & similiter in ea recipitur, & in ea habet suum effectum formalem: nam in hoc etiam nulla potest esse difficultas cum talis potentia, & actus ex natura sua sint ad hoc proportionata, & alioquin supponatur etiam hic habere diuina virtute proportionatum modum existendi indiuisibilem & sacramentalem: nulla ergo est repugnancia, aut difficultas, propter quam hoc fieri non possit: si alioqui obiectu ipsum per se sit sensibile, vt supponimus: nam interdum, propter conditionem aliquam poterit esse insensibile: & tunc aliud erit iudicium ferendum, vt dicemus sectione sequenti.

Eodem modo loquendum est de sensibus internis, ac externis, si alium est.

Atque ex his constat, quid dicendum sit de sensibus interioribus, & appetitu sentiente: nam de potentia absoluta idem dicendum est, vt facile constat ex dictis: de naturali autem potentia aliqui existimant, non esse eandem rationem de his sensibus quæ de externis, saltem quoad eos actus exercendos, ad quos iam habet sufficientes species seu phantasmata: quia in eis non pendunt ab extrinsecis agentibus. Dico tamen, etiam si interior sensus Christi in hoc sacramento sit phantasmaticus, seu speciebus in actu primo constitutus, non posse naturaliter illis vt: neque actum secundum elicere: quia, licet in sensu interiori non procedat prior ratio facta de sensibus exterioribus, tamen posterior eandem vim habet: quia etiam actus secundus sensus interioris (& quoad hoc idem est de appetitu) est materialis, & naturaliter fieri non potest, nisi a principio materiali & extenso, & cum modo etiam existendi quantitatiuo & extenso, & consequenter etiam in subiecto, eodem modo existente: quæ omnia deficiunt supposita sacramentali existentia corporis Christi in sacramento. Respondent aliqui, hoc ipso, quod interior sensus cum suis speciebus existit sacramentali modo, habere virtutem ad efficiendum actum sibi proportionatum, & eodem modo existentem: quia ratione suæ naturæ, & entitatis potest actus entitatis elicere: rationi autem modi existendi potest actio similem modum communicare. Sed hoc non recte dictum est: primo quidem, quia supra dictum est, materialem potentiam requirere extensionem in loco, vt possit suammet virtutem naturalem exercere: & per modum indiuisibiliter existendi in sacramento impediri, ne hoc etiam possit, ergo similiter sensus interior, ratione modi existendi impeditur, ne possit vt naturali virtute actiua: ergo hac ratione neque actum quoad entitatem potest efficere. Secundo, quia hic modus præsentia non est actiuis sui similis, sicut, Vbi, non est ratio agendi aliud Vbi: sed, ad summum, est conditio, sine qua non: ergo modus præsentia sacramentalis, quem habet potentia, non dat ei virtutem ad efficiendum similem modum in actu. Eo vel maxime, quod hic modus, cum sit supernaturalis, solum inest rei materiali per potentiam obediencialem: & ideo a solo Deo, vel a creatura, vt instrumento Dei, fieri potest. Confirmatur tandem, quia alias corpus Christi hic existens

Enafo aliquorum.

Impugnatur.

posset calefacere naturaliter aliud corpus simili modo existens, & sibi propinquum: vel ab illo calefieri quod fati absurdum est, vt a fortiori constat ex dictis. Sequela patet: quia eadem proportione dici posset, calorem vnus corporis ratione suæ entitatis posse efficere similem calorem in alio corpore, quoad entitatem illius: ratione vero modi supernaturalis, quæ ipse habet, posse efficere alium calorem simili modo existentem: sicut ergo hoc falsum est & impossibile, ita id, de quo nunc agimus.

Vltimo constat ex dictis, quid dicendum sit de intellectu, nam in primis intellectus humanus coniunctus corpori, sacramentali modo existendi, vt sic non posset naturaliter nouas species acquirere: quia naturaliter solum potest illas acquirere per sensus, corpus autem illud non posset vt sensibus, vt dictum est. Deinde præcise vt sic existens, & secluso omni alio miraculo, seu supernaturali priuilegio: non potest vt speciebus prius acquisitis, quia intellectus non potest naturaliter intelligere, neque vt speciebus, quas in memoria retinet, nisi cum conuersione ad phantasmata: id est, nisi simul phantasia cooperetur cum intellectu, vt experientia docet, & scientia de anima: ostensum est autem, in eo statu non posse esse vsum phantasmaticum: ergo neque intelligibilia recipi: loquor de speciebus acquisitis: quia, si intellectus habet species aliquas per se infusas, cum lumine seu auxilio proportionato, recte poterit illis vt sine conuersione ad phantasmata: & ideo bene posset illis vt Christus Dominus in hoc sacramento, sine nouo miraculo: quia ex parte ipsius intellectus, vel actus eius, nulla est repugnancia: nam, cum sint supernaturales, naturaliter est, esse modo indiuisibili totum in toto, & totum in qualibet parte: vnde neque intellectus caret ex hac parte modo connaturali ad operandum, nec actus incidet aliquo modo supernaturali, vt de nouo fiat, etiam in sacramento. Atque idem dicendum est, quoad naturales actus, & vsum specierum acquiritarum, si supponatur, animam informantem corpus aliunde habere supernaturalem vim ad intelligendas quascunque res, & quocunque modo, sine conuersione ad phantasmata, vt censetur habere omnes animæ gloriosa corpora informantes, & ideo dixi in principio, secluso omni alio miraculo, vel priuilegio supernaturali. Locutus sum etiam de intellectu, vt præcise existente in sacramento: nam, si simul alibi existat naturali modo, vt nunc existit Christus, & existit in nocte cenæ, tunc, quia in propria specie potest conuerti ad phantasmata, id factus erit, vt in sacramento possit exercere actus intellectus cum conuersione ad phantasmata in propria specie: idque non solum: quia illa conuersione ad phantasmata erit etiam per concomitantiam in sacramento, sed etiam si non esset vel prius natura quam sit, propter radicacionem harum potentiarum in eadem anima, & sympathiam earum, quæ sufficit ad prædictam conuersionem ad phantasmata sufficientem ad intellectiorem: nam distantia vel propinquitas localis ipsorum actuum videtur nimis accidentaria ad hunc effectum: sicut variis exemplis ostendi potest, quæ superius disputatione 48. tractauimus.

SECTIO IV.

Vtrum corpus Christi, prout est in Eucharistia, possit naturaliter videri oculo corporeo.

Dictum est de omni genere actionis, & passionis seu receptionis propriæ: superest dicendum de passionibus denominationibus, quæ ad Corpus Christi pertinent, ratione actuum immanentium, quæ circa illud versantur. In qua re non est difficultas de actibus ap-

has appetitus: quia hi, neque immediate pendunt ab aliqua efficiencia, seu impressione obiecti, neque representant obiecta ipsa, sed solum sunt veluti quidam motus in obiecta, supposita eorum cognitione & ideo non est dubium, quin possit Christus amari & diligi, prout est in hoc sacramento, si eius cognitio supponatur: tota ergo difficultas versatur circa cognitionem: quæ hic tractabitur de sensitiua: in sequen. vero scilicet de intellectu, quoad sensus exteriores, cum ex supra dictis constat, Christum, vt hic est, non posse loqui, certum etiam est, non posse audiri: in aliis vero tribus sensibus multiplicatio specierum non fit sine materiali contactu & actione, quam corpus Christi hic exercere non potest. Et, si aliquando possunt species huiusmodi tantum intentionaliter multiplicari, vt in odoratu: eadem fere ratio erit de illo, quæ de visu: & ideo de hoc sensu fere omnes Theologi tractant præsentem questionem: ex cuius resolutione facile etiam constabit, quid sit de interiori sensu dicendum.

Prima itaque sententia affirmat, Christi corpus, vt hic existens, & cum suo modo sacramentali, posse naturaliter videri oculo corporeo: diuinitus tamen nunc impediri propter fidem. Ita tenent Nominales citati sectione 3. eisdem locis. Fundantur, quia, vel ad videndum non requiruntur species, vel Christi corpus potest illas efficere, sicut de quacumque alia actione transeunte ipsi opinantur: ergo in oculo sufficienter propinquo Eucharistia sufficienter erit virtus naturalis ad videndum corpus Christi: ergo poterit videri: quia nihil est, quod possit exercitium illius virtutis impedire: quia neque ex parte ipsius oculi, neque ex parte mediæ potest aliquid huiusmodi assignari, vt per se constat: neque ex parte sacramentalium specierum, vt supra in commentario articuli septimi ostensum est: nec denique ex parte ipsius corporis Christi: nam, si quid esset, esset maxime modus ipse existendi: nihil enim aliud fingi potest: modus autem ille, licet fortasse possit esse in causa, vt visio minus sit clara & distincta: non vero potest omnino illam impedire: quia solum efficit, vt omnes partes corporis sint æque propinquæ visui, & per eandem lineam, & non per vnâ tantum, sed per infinitas, prout Christus infinities in potentia existit totus in infinitis partibus: ex quo fit, vt æqualiter, & variis modis multiplicentur species ab omnibus partibus corporis, quod non potest non parere aliquam confusionem in visione, ita vt non videatur Christus distincte secundum suam figuram, & organizationem: non tamen omnino impeditur specierum multiplicatio: & ideo saltem videri poterit per modum cuiusdam obiecti lucidi. Sicut, si duo homines essent penetratiue in eodem loco non impediretur eorum visio, sed solum, ne tam distincte, & clare vnusquisque videretur.

Secunda sententia est, naturaliter non posse videri corpus Christi in hoc sacramento, miraculosè tamen posse: ita sentit D. Thom. in 4. d. 10. q. 1. art. 4. q. 1. vbi loquitur de oculo glorificato, & negat ordinari videri corpus Christi in sacramento per miraculum autem posse: idem d. 11. quæ 3. artic. 1. ad 4. atque idem potest sumi ex hoc art. 7. ad 2. vbi D. Thom. ait, oculum Christi videre se ipsum sub sacramento existentem: & idem dicit in priori loco citato ex 4. ad 2. non est autem maior ratio de Christi oculo, quam de quocunque alio miraculosè eleuato. Vnde etiam Alenf. 4. p. q. 40. memb. 3. art. 3. §. 2. dicit, B. Virginem speciali privilegio videre hic corpus Christi: & de oculo Christi tenet idem Marfil. in 4. q. 7. artic. q. ad 4. & generaliter tenet eandem opinionem Bonauer. d. 10. q. vit. Scotus, q. 9. Valdens. tom. 2. de sacramen. c. 65. Vict. in Sum. num. 70. Soto, & omnes recentiores Thomistæ. Fundamentum huius opinionis, quoad priorem partem de potentia naturali sumendum est ex duabus sectionibus proxime præcedentibus,

quoad posteriorem vero de potentia supernaturali, solum est, quia nulla est implicatio contradictionis, cum Deus possit speciem & sufficientem vim actiua dare oculo, & alioqui Christi corpus sit obiectum visibile cum sit coloratum, & lucidum.

Tertia opinio negat hoc posse fieri, etiam de potentia absoluta. Tenent Palud. & Capreol. dist. 10. qu. vlt. Hispanenf. ibi. question. 1. artic. 3. ad 6. contra 5. conclus. Richard. artic. 5. qu. 2. fundamentum esse debet, quia corpus Christi, vt est hic, non est obiectum visibile. Hi tamen auctores omnes non distinguunt inter corpus Christi, & modum existendi in sacramento, quod nobis videtur in primis distinguendum, vt distinctius quaestioni respondeamus: aliud enim est querere, an corpus Christi cum modo sacramentali videri possit oculo corporali, aliud est, an, quamuis modus ipse sit inuisibilis, corpus tamen ipsum præcisè & secundum se videri possit, non viso modo.

Dico ergo primo, modus, quo hic existit corpus Christi, omnino inuisibilis est oculo corporali, non solum ex natura rei, sed etiam de potentia Dei absoluta. Explicatur & probatur conclusio. Quia tribus modis potest aliqua res dici visibilis: vno modo, per accidens, sicut dicitur visibilis substantia materialis: & de hoc non est hic sermo: tum, quia esse aliquid isto modo visibile, est valde improprium: nam visus reuera non attingit, nec in se concipit, aut sibi representat rem, quam solum per accidens videre dicitur, sed videt formam, quæ cum tali re coniuncta est, seu quæ in tali re subiectatur: quia tamen videt per modum vnus, dicitur per accidens videre subiectum ipsum, aut aliam formam in illo inhaerentem, vt hic attingit D. Thom. articulo quarto ad 1. hic autem modus sacramentalis non comparatur ad formalem visibilem, vt subiectum eius: vnde hac ratione non potest per accidens videri: an vero videri per accidens possit, vt forma simul coniuncta in eodem subiecto, coincidit cum alio membro quaestio- nis posita: an possit videri corpus habens talem modum existendi, viso eius colore, & non viso ipso modo in se ipso. Secundo modo dicitur res propriissime visibilis per se primo, tanquam proprium obiectum visus, vt lux, vel color: & hoc modo certum est, hunc modum non esse natura sua visibilem: quia neque est color, neque lux: præter lucem autem, aut colorem, nihil potest per se visum immutare. Quo fit, vt nec de potentia absoluta fieri possit, vt visus per se primo ac proprie in hunc modum feratur, vel ab eo immutetur, tanquam à proprio obiecto: quia omnino repugnat, vt huiusmodi vitales potentia extra sua subiecta adequata ferantur: hic autem modus præsentia non continetur sub obiecto adequato visus: quia, vt dictum est, & per se constat, neque ex lux, nec per se lucidum, aut coloratum: sed est quidam modus per se conueniens substantia, vt sic, & concomitanter potens conuenire tam quantitati, quam cuiuslibet qualitati. Tertio modo quasi medio potest aliquid esse visibile, nec omnino per accidens, nec per se primo, sed per se secundo, tanquam sensibile commune, quo modo videntur motus, aut quies, aut magnitudo rei, &c. & ad hunc ordinem reuocanda est quantitatiua præsentia corporis visibilis, siue sub quantitate rei comprehendatur, siue (quod verisimilius videtur) ad motum, & quietem reuocetur. Nam hæc præsentia nihil aliud est, quam ipsum Vbi; à quo fere non distinguitur motus localis, nisi vt fieri & factum esse, seu tanquam quædam successio diuersorum Vbi: quies autem secundum id positium, quod in ea esse potest per se visibile, nihil aliud est, quam idem Vbi perseverans, quod nec videri potest, nisi mediante colore, vel luce, nec omnino per accidens videtur, sed per se visu percipitur, vt experientia ipsa docet. Videmus enim, hominem esse hic præsentem, & sedere, aut stare, moueri

9. Sensus
Palud.
Capreol.
Deza.
Richard.

Modus existendi, ac sacramentaliter, videri non potest oculo corporeo, ex potentia Dei absoluta.

moueri aut quiescere: quæ in se videri non possent, nisi videretur etiã per se ipsa præsentia. De hoc igitur genere visionis seu visibilitatis maxime apparere posset, esse visibilem modum præsentia sacramentalis, saltem quatenus modificat ipsum colorem, vel lucem corporis Christi, quod autem neque hoc modo sit naturaliter visibilis, per se notum videtur: quia hic modus, neque est connaturalis colori, neque color sic affectus aptus est ad suas naturales actiones præstandas: & hoc à fortiori ex dicendis constabit. Quod autem nec de potentia absoluta possit hic modus sic videri, probatur ratione proportionali supra facta: quia sicut non potest visus ferri ad per se primo videndum aliquid, quod omnino sit extra latitudinem proprii obiecti adæquati, ita non potest eleuari ad videndum per se secundo aliquid, quod omnino est extra latitudinem communis sensibilis: sed huiusmodi est modus præsentia sacramentalis, quæ sub nullo sensibili communi continetur: cum sit alterius ordinis à quantitate, & ab omni vbi quantitatiuo: imo hoc ipso, quod hic modus est per se indiuisibilis, est etiã per se insensibilis, & extra ordinem rerum sensibilium: vnde per se potest conuenire substantiæ, vt substantia est: imo secundum genus suum soli spirituali substantiæ, natura sua, conuenit, diuinitusq; communicatur substantiæ materiali, & consequenter accidentibus eius. Atq; hæc ratio apud me etiã concludit, hunc modum existendi corporis Christi, seu, corpus ipsum, vt tali modo affectum, non posse eadere secundum proprium conceptum, vel secundum propriam imaginem, aut representationem in sensum internum, seu phantasiã, non solum naturaliter, verum nec supernaturaliter. Primum est per se euidentius: quia non magis potest formare imaginatio, qualis sit hic modus, quam qualis sit substantia in se, vel qualis sit angelus, vel præsentia eius. Secundum autem patet proportionali ratione supra facta, quia hic modus est extra latitudinem obiecti adæquati imaginationis, vel sensus interioris. Item propter hanc causam non potest eleuari imaginatio ad formandum proprium idolum substantiæ vel angeli, proit in se est: hic autem modus est quadam ratione eiusdem ordinis, cum ex sua essentia solum possit esse connaturalis substantiæ spirituali: ergo, & cæc.

*Non potest
Christum
naturaliter
videri ut in
Eucharistia
est.*

Dico secundo, Naturaliter non potest videri corpus Christi in Eucharistia existens, præciso modo: imo probabile est, etiã de potentia absoluta id repugnare: prima pars est mihi certa, & satis clara. Primum, quia dictum est supra, corpus Christi sic existens, nullam posse naturaliter habere transeuntem actionem: non igitur poterit sui speciem visibilem in medio, vel in oculo imprimere: non est ergo sic naturaliter visibile. Secundum euidentius, quia hoc ipsum, scilicet, videri obiectum non visa eius præsentia seu modo præsentia, est omnino præter naturas rerum, iuxta quas non potest oculus videre suum sensibile proprium; nisi prout in re est affectum suis sensibilibus continuis, vt non potest videre colorem, nisi prout in re est affectus tali extensione vel præsentia. Maxime, quia non potest sensibilis oculus videre, nisi per modum intuitionis: intuitiua autem cognitio, præsertim sensitiua, tendit in rem prout existentem, & secundum omnes conditiones existentia: intelligi ergo non potest, quod talis intuitio ita naturaliter tendat in rem, vt præscindat ab intrinseco modo realis præsentia. Atque hinc declaratur posterior pars conclusionis: nam, si oculus à Deo eleuatus videt corpus Christi, vel videt illud sub speciebus, vel abstrahendo ab omni loco & præsentia: neutrum autem horum dici potest: ergo. Probatur prima pars minoris, quia, si videtur corpus Christi sub speciebus, ergo formaliter & per se videtur, vt sub eis præsentens: ergo videtur præsentia, quam sub illis habet:

quia hæc est formalis ratio existendi ibi: non potest autem per se videri aliquid quasi concretum, quin simul per se videatur forma, qua formaliter constituitur. Item, quia Christus sub speciebus non videtur, vt extensus: ergo non videtur pars eius sub parte specierum, & totus in totis: ergo videtur totus sub singulis partibus: ergo necesse est, vt modus præsentia videatur. Dices, diuinitus posse fieri, vt videatur ibi, quasi extensus. Respondetur, aliud esse loqui de apparente visione, aliud de propria & vera visione, quæ representat rem, prout reuera est in se: hoc enim loco de hac posteriori visione disputamus, hoc autem modo impossibile est, videri corpus Christi in sacramento: & videri quasi extensum: quia, cum in se non habeat talem extensionis modum, iam non videretur, prout est in se, priori autem modo nihil repugnaret Deum imprimere in oculo speciem corporis Christi, per quam videretur, ac si esset præsentis & extensus in tali distantia, vt notauit D. Thom. in 4. dist. 10. q. 1. artic. 4. quæstio. 2. nam species visibilis non ita pendet ab obiecto, quin possit Deus per se solum illum efficere, & conseruare in oculo, neque affectus visionis ita pendet ex vera præsentia & existentia obiecti, quin fieri possit ab oculo informato specie, etiã si obiectum in re ipsa non existat: cuius vestigium habemus etiã in naturalibus, in visione colorum apparentium in nubibus, ex refractione lucis, & in speculo, in quo videtur apparere obiectum per species in eo reflexas, ac si ibi esset, vel ipsummet vel imago eius depicta, de quo genere visionis multa scribit Scotus hic, dist. 10. & q. 5. & 9. & Duran. in Prolog. sententiarum, quæstio. 3. Gabriel quæstio. 1. artic. 3. dub. vltimo: sed nihil referunt ad præsentem quæstionem: quia, vt dixi, non agimus de apparente visione, sed de vera, & quæ in obiecto, prout in re existit, vere fundetur. Dices, cum totum Christi corpus sit in singulis partibus specierum, fieri poterit, vt totum illud corpus, non prout in singulis partibus existit, sed tantum prout est in toto, efficiat speciem sui, ita vt prout est in vna parte specierum, efficiat per vnam partem: verbi gratia, per caput, & vt est in alia parte, per aliam, verbi gratia, manum, & sic de aliis: atque ita fiet, vt totum videatur quasi extensum. Respondetur, argumentum procedere, ac si Christus existeret in sacramento per partium penetrationem cum extensione aliqua: non autem ita est, sed existit altiori modo, & indiuisibili, vt supra dixi, & ideo fieri nullo modo potest, vt videatur cum extensione, si videtur, prout est in re, quare, etiã si fingatur, tantum partes corporis videri in partibus specierum, semper videbuntur, vt indiuisibili modo existentes: nunquam ergo videbitur totum, vt extensum ex vi talis visionis.

Supereest probanda alia pars propositionis assumptæ, scilicet, per hanc visionem non posse videri corpus Christi abstrahendo à speciebus, seu à loco specierum; quia videtur repugnare materiali sensui hoc modo abstrahere in actione & cognitione sua: primo, quia alias posset etiam eleuari ad videndum colorem in communi, abstrahens ab hoc & illo indiuiduo coloris. Secundo, quia actus videndi intrinsece est visio intuitiua, aut per modum intuitionis: de ratione autem huiusmodi cognitionis est, vt tendat in rem, vt actualiter existentem, & sub conditionibus existendi. Tertio, quia videtur impossibilis ille modus abstractionis. Necesse est enim, vt videatur corpus Christi, aut extensum, aut in extensum, neque inter hæc videtur posse dari medium, cum immediatam contradictionem includere videatur, nam licet dici possit, respectu ipsius rei includere huiusmodi immediatam contradictionem, & nihilominus, respectu mentis posse consideratione vtrumque præscindi, & rem solum considerari: nihilominus in potentia visiva, quæ valde materialis est, non videtur

detur posse reperiri hoc medium : quia ille modus præcendendi est valde spiritalis, & excedens capacitatem & obiectum oculi materialis. Dices, extensio in loco seu præsentia realis, non est ratio, sed tantum conditio necessaria obiecti visibilis : ergo poterit Deus facere, ut obiectum sine tali conditione videatur. Aut è contrario, quia calor Corporis Christi de facto est affectus tali modo præsentie sacramentalis, & ad hoc eleuatur per diuinam potentiam : eadem ratione poterit eleuari oculus ad videndum colorem sic affectum : nam hoc ipso, quod ille est modus coloris, etiam si supernaturalis sit, videtur comprehendi sub latitudine communis sensibilis, seu visibilis : quia est aliquid ipsius coloris, nec refert, quod sit quid supernaturale, quia diuina virtute potest potentia eleuari ad obiectum supernaturale, quando illud comprehenditur aliquo modo sub naturali obiecto talis potentie, ut de intellectu constat. Propter has coniecturas & similes, quæ facile excogitari possunt, dixi tantum, hanc partem esse probabilem, quia implicatio contradictionis non est tam aperta, quin possit aliquis contrarium opinari. Nihilominus, quod diximus, verisimilius videtur, & ad priorem partem respondeo, præsentiam obiecti non esse tantum conditionem per accidens requiritam in obiecto visus, sed esse obiectum in per se visibile, tanquam sensibile commune quod separabile non est sensibili proprio in actuali visione intuitiua, præsertim materiali & sensitiua. Ad aliam partem respondetur, præsentiam sacramentalem nullo modo contineri sub obiecto sensibili proprio vel communi : non enim præsentia, visio, sed talis, id est, extensa & quæ sita est vnum ex sensibilibus communibus obiecti visibilis : & ideo sacramentalis præsentia, quæ indiuisibilis est, nullo modo sub hoc subiecto continetur. Nec refert, quod possit esse supernaturalis modus coloris : quia non omnis modus coloris est per se visibilis, ut patet de intentione & similibus. Atque hinc tandem constat, quid sit, quoad hoc, dicendum de sensu interiori, seu imaginatione : quia in illa facile intelligi potest, formari idolum Corporis Christi, præcendendo à modo sacramentali : sed tunc non cognoscitur Christus in sacramento, nec prout est in sacramento, sed tantum cognitione quadam abstractiua : ad quam, impermens est existentia Christi in sacramento : & ideo simpliciter dicendum est, Christum in sacramento nullo sensu, etiam interiori, apprehendi posse, sed solum fingi aliquo modo quantitatiuo.

Ad fundamentum primæ opinionis responsio patet ex supra dictis : supponit enim falsum, quoad omnes partes, scilicet, vel quoad species intentionales non requirantur ad videndum, vel quod illæ naturaliter fieri possint à corpore inextenso in ordine ad locum, aut quod representare possint talem modum existendi, aut Corpus ipsum, præcendendo ab omni præsentia, & situ. Ad fundamentum secundæ sententiæ negatur, Corpus Christi tali modo existens esse obiectum visibile : neque enim satis est, quod sit coloratum, nisi existat modo accommodato visioni. Ad Diuum Thomam autem ibi citatū solum respondeo, in hac tertia parte nunquam illam sententiam docuisse. Solum indiget explicatione, quod hic dicit, oculum Christi videre se ipsum sub sacramento. Capreolus enim distinctione 10. quæst. 4. ad 7. contra primam conclusionem, & Caietanus hic, exponunt, oculum Christi videre se, non per se, sed per accidens, quod diuerso modo explicant : Caietanus enim ait, oculum Christi ita videre se, ut statim intellectus videat modum : sed hoc est gratis dictum : quia hoc non est videri per oculum, Christum in sacramento, sed per intellectum. Et præterea, quia ostensum est, non posse oculum videre se in sacramento, non videndo modum : quia quoad

hoc non est alia ratio de oculo ipsius Christi, quam de quolibet alio. Capreolus vero ait, videre Christum in hoc sacramento quædam corporalia signa, quæ sunt testimonia præsentie eius : & sumpsit occasionem ex Diuo Thoma, tum à simili ex prima parte quæstione duodecima, articulo tertio, ad 2. vbi hac ratione dicit, oculum beati quodammodo videre Deum : tum ex alia antiqua lectione huius loci, quæ sic habet : Oculum Christi videt se ipsum in sacramento, quantum pertinet ad intellectum. Sed hæc etiam expositio est gratis conficta : nihil enim fingi potest, quod ibi videat oculum corporalis Christi, quod sit signum præsentie sacramentalis eius : neque enim videt absentiam substantie panis, nec substantiam accidentium, neque aliquem alium sensibilem effectum supernaturalem : quia reuera nullus est, & si esset, posset æque videri ab alio oculo glorificato : & tamen D. Thom. plane constituit differentiam inter Christum & alios beatos. Adde, veram lectionem non habere particulam illam, quantum pertinet ad intellectum, nec congrue posse coniungi cum cætero contextu, nec cum intentione D. Thom. qui aperte solū loquitur de corporali visione, vera repositio est, cum D. Thomas dicit, Christum in sacramento videre se ipsum, illud (in sacramento) non esse coniungendum cum obiecto visionis, quod significatur illa particula (se ipsum) sed cum oculo vidente : qui etiam sub sacramento habet visionem sui ipsius, non prout in sacramento est, sed prout in propria specie existit. Habet autem hic visionem, non per se primo hic elicitā, sed per concomitantiam : nam quia in cælo habet visionem sui, illa visio in sacramento per concomitantiam ponitur. Et ideo merito dixit D. Thomas, per hanc visionem videre oculum Christi se ipsum, non tamen modum quo in sacramento existit : quod non ideo dictum est, quia oculus Christi videat se, seu corpus suum præcise, & abstrahendo ab omni modo præsentie localis : hoc enim diximus fieri non posse in corporali oculo : intelligendum ergo est, ideo oculum Christi videre se, non tamen modum sacramentalem, quia videt se præsentem in cælo, & extensum in loco, prout ibi existit. Atque hinc etiam optime intelligitur ratio differentie, inter oculum Christi, & aliorum beatorum : nam, Christi oculis (inquit) videt se in sacramento, quia ibi est : oculi vero aliorum beatorum non vident Christum in sacramento, quia ibi non sunt : quæ ratio aperte declarat, illam particulam (in sacramento) referendam esse ad oculum videntem, non ad obiectum visum : sic enim ratio est efficax, & alio sensu esset impertinens : nam si obiectum esset in sacramento videndum, & esset visibile ab aliquo oculo corporali, quid referret quod oculi beatorum non essent in sacramento, ut illud videre non possent? cum necesse non sit, aculū videntem esse in eodem loco, vbi est obiectum visum igitur non est fermo de obiecto viso in sacramento, sed de oculo vidente in sacramento, seu (ad tollendū æquiuocationem) ex sacramento. Ratio autem huius necessario sumenda est ex concomitantia, ut dixi : nam, quia oculus Christi simul est extra & in sacramento, ideo per concomitantiam habet in sacramento actum visionis, quem habet extra : oculi autem aliorum beatorum, licet sint extra sacramentum, non tamen intra illud : & ideo non habet in eis locum concomitantie ratio : & hanc expositionem significauit etiam D. Tho. in 4. dist. 10. q. 2. ar. 2. q. 1. & 2. ad 3. Agid. Theor. 16. & 17.

SECTIO V.

Verum Christus, prout est in hoc sacramento, possit cognosci ab intellectu creato.

Principio supponendum est, non esse sermonem de cognitione iudei, quæ obscura est, & aliterius

terius testimonio nititur, nam per se constat, posse hoc mysterium cognosci per fidem, non solum diuinam, & supernaturalem, sed etiam humanam, & naturalem, si quis velit ex humano tantum testimonio id credere. Imo non tantum fide voluntaria, sed etiam fide coacta, seu necessitante intellectum, potest interdum naturaliter credi hoc mysterium, præsertim ab angelo, secundum illud Iacobi, Dæmones credunt, & contremiscunt: sicut enim in aliis mysteriis fidei, euidentibus signis & miraculis, ac testimoniiis coguntur dæmones credere vera esse, quæ fides docet, ita etiam in hoc mysterio, ut in articulo 7. expresse docuit D. Thomas. imo addit Bonauentura d. 10. quæstio. vltim. ad 1. quem imitatur V. Valdens. tom. 2. de sacrament. capite 62. aliquando etiam intellectum humanum, & sensibus coniunctum certis iudiciis cognoscere, esse ibi Corpus Christi. Quod quidem, si solum intelligatur iuxta generalem doctrinam, qua probabile est, aliquos sanctos, visis miraculis, Christi habuisse euidentiam in testificante mysterio fidei, non habet hic aliquid speciale: si vero intelligatur, aliquos consequi huiusmodi cognitionem per indicia aliqua, aut effectus, quos in ipsius sacramenti usu experiuntur, in hoc sensu suspecta est illa doctrina, & plena periculi, nisi caute intelligatur, quæ enim sunt huiusmodi indicia præsentia Christi? sensibilia enim nulla sunt, & si quæ interdum sunt, possent à dæmone causari: spiritualis vero in ipso sacramento nulla etiam excogitari possunt: in suscipiente vero interdum sunt aliqui boni motus, quos possit Christus causare, etiam si in sacramento realiter præsens non adesset, simpliciter ergo ex his effectibus nulla haberi potest rei euidentia, supposita tamen certa fide realis præsentia Christi, ex huiusmodi effectibus, adiunctis etiam Spiritus sancti donis, sapientia & intellectu, sit hæc veritas ita euidenter credibilis, ut intellectus fere non indigeat motione voluntatis ad illam credendam, quia ipsa experientia & affectu ita inducitur intellectus, ut necessitari quodammodo videatur ad assentiendum, quamuis reuera, non sit necessitas simpliciter, sed magna quædam promptitudo & facilitas.

Bonauent.
V. Valdens.

Christus in
Eucharistia
existens co-
gnitione su-
pernaturali
videri potest
et actu à be-
atis omnibus
videtur.
Gabr.

Secundo supponendum est, non esse difficultatem vllam de cognitione supernaturali euidente ac per se iustia: nam, ut in commentario diximus, duobus modis potest Deus infundere scientiam huius mysterii. Primo, per visionem beatam, quo modo non solum potest, sed etiam credibile est, omnes beatos videre in Verbo hoc mysterium, quamquam Gabr. lectio. 47. in Canonem. in fine hoc limitet ad eos tantum, quia in via huius mysterii fidem habuerunt, sed mihi verisimilius est, hunc esse vnum ex effectibus diuinæ prouidentia, qui ex generali perfectione status beatifici omnibus beatis patet in Verbo, magis enim hoc pertinet ad perfectionem illius status, quam videre genera & species rerum naturalium, quod omnibus beatis commune est: neque est credibile, omnes fere qui in lege gratia saluantur, etiam si infimi ordinis sint, videre hoc mysterium in Verbo, angelus vero, & omnes antiquos Patres, etiam si sanctissimi fuerint, non videre illud: solum quia in via expressam eius reuelationem non habuerunt: sed de hoc latius alibi. Secundo modo potest supernaturaliter infundi scientia huius mysterii, infundendo speciem propriam, representantem Christum in sacramento, & modum existendi, quem ibi habet, & modum, quo accidentia existunt: & vinculum, si quod est, inter Christum & accidentia panis, & dando lumen & auxilium vsui talis speciei accommodatum: & in hoc etiam genere scientia nulla est repugnantia: imo in primo tomo ostendi, Christi animam habere illam: idemque pie credendum est de Beata Virgine in statu gloria: de aliis autem beatis res est incerta:

& hæc vocari potest scientia perfecta in proprio genere.

Tertius tamen modus excogitari posset huius scientia infusæ, imperfectæ tamen illo ordine, & per effectus, quæ appellatur à dialecticis scientia, Quia. Et quidem, si sunt aliqui supernaturales effectus, qui necessariam habeant connexionem cum hac reali præsentia Christi in sacramento, non est dubium, quin illa scientia sit possibilis: ego tamen non satis capio qui sint, vel esse possint tales effectus, & ideo exiitimo, saltem de factis, nullos fieri à corpore Christi ut est in sacramento, qui non possent fieri ab eodem, sine tali præsentia sacramentali, nisi forte quis dicat, ipsummet dependentiam modum, quo nunc fluit sacramentalis gratia à corpore Christi, ita pendere essentialiter ab hac præsentia, ut, quamuis ipsa gratia possit aliter fieri, non tamen ille modus, dependentia: & ideo, cognitio illo modo dependentia, prout in se est, ex illo posse à posteriori cognosci præsentiam Christi.

Sed hoc, licet acutum videatur, non tamen solidum: quia, licet fortasse ille modus dependentia essentialiter pendat à corpore Christi, non tamen à præsentia sacramentali: illa enim non est ratio agendi, etiam instrumentalis: sed solum est conditio requisita, non tam ex natura rei, quam ex institutione diuina. Vnde, licet illa dependentia dicat habitudinem ad corpus Christi, essentialiter tamen forte non respicit illud, ut propinquum vel distans, & multo minus, ut existens in hoc vel illo spatio. Ac denique, licet dicat habitudinem ad instrumentum creatum, fortasse ex vi rationis specifice talis dependentia, non magis respicit hoc instrumentum, quam aliud. Itaque nullum effectum inuenio, ex quo possit hæc scientia à posteriori infundi. Vnde, seclusa euidentia in testificante, nullam existimo esse posse de hoc mysterio mere abstractiuam, & per extrinseca signa, secluso proprio lumine, & specie ipsius mysterii, at hæc de supernaturali cognitione.

Tertio, de naturali cognitione supponendum est, id, quod à fortiori sequitur ex dictis, non posse Christi corpus in sacramento existens euidenter cognosci lumine naturali, cognitione abstractiua per signa, vel effectus: quod quidem in intellectu humano corpori coniuncto per se notum est: accipit enim cognitionem per sensus: nullus est autem sensibilis effectus, qui ex præsentia Corporis Christi in sacramento oriatur, ex quo, vel ipsamet præsentia, vel existentia ipsius corporis, vel absentia panis, vel substantia accidentium, probabiliter colligi possit, ne dum emittet. Quæ ratio, eadem proportione, potest ad intellectum separatum, seu angelicum applicari: quia similiter nullus est insensibilis, seu spiritualis effectus, ex quo in huiusmodi cognitionem deueniri possit.

Solum posset aliquis dubitare: quia angelus videt euidentia naturali, non esse substantiam panis sub accidentibus eius: ergo & videt accidentia esse sine subiecto, quod inde necessario sequitur, & ex eodem effectu potest satis manifeste elicere, ibi adesse Corpus Christi, primum antecedens patet ex Aristotele secundo de anima, dicente, visum, qui naturaliter cognoscit præsentiam lucis, percipere etiam tenebras, quod eadem proportione applicari potest ad omnem potentiam & obiectum, præsertim ad intellectum, qui per actum positium potest aliquo modo cognoscere priuationem: intellectus ergo angelicus, qui naturaliter videt præsentia substantia, quando adest, videt etiam absentiam eius, quando non adest, non solum per priuationem actus, id est, quia caret institutione eius (sicut contingit in corporali visu) sed etiam, quia per positium actum cognoscit, ideo à se non videt, quia ibi non est: nam si ibi est euidentis, quod si adesset, potest illam videre: neque

que aliter cognoscit angelus absentiam aliarum substantiarum, quando corrumpuntur, nisi quia non videt illas in rerum natura existentes. Respondetur primum: Licet hoc concederemus de absentia panis, non esset magnum inconueniens: quia, licet illa carentia supernaturali modo fiat in hoc sacramento, tamen in se, & in facto esse (vt sic dicam) non est aliquid supernaturale, sed aliquid mere naturale: quia solum est negatio cuiusdam entis naturalis: sicut e contrario, licet Deus supernaturali modo produceret angelum per transubstantiationem, vel hominem per resurrectionem, postea naturaliter posset videri, vt actu existens: idem ergo est proportionaliter de desitione. Vnde consequenter etiam nullum erit inconueniens, angelum cognoscere accidentia panis existere, & carere actuali inhærentia ad substantiam: nam vtumque hoc naturalis ordinis est illud posituum, scilicet, ipsa actualis entitas accidentium: hoc priuatiuum cuiusdam formæ seu modi naturalis, qualis est actualis inhærentia accidentis. Quod, si hæc accidentia separata habent modum posituum subsistendi, illum non oportet cognoscere ab angelo: quia neq; habet naturalem speciem eius, neque ex aliis effectibus sufficienter manifestatur: quia potest Deus variis modis conferre hæc accidentia sine actuali inhærentia in substantia panis. Vnde etiam sic, multo minus hinc consequi, cognoscere angelum ex his effectibus præsentiam corporis Christi sub illis speciebus, seclusa alia fide: quia hoc non sequitur immediate ex absentia panis: cum possit Deus alia accidentia conferre omni substantia carentia.

Secundò dicitur, etiam ipsam absentiam substantiæ panis, vel vini non esse factis euidenter Angelo euidencia naturali: quia, quamuis sit euidens non videri ab ipso, tamen non est euidens, non videri, quia non est, posset enim illa nou videre, quia diuinitus impediretur, potest ergo merito dubitare, vnde sibi proueniat, quod substantiam panis ibi non videat? an, quia non est, vel quia Deus secum non concurrat? neutrum ergo horum potest definite ac euidenter iudicare. Vnde quoque hoc, magna est differentia inter posituiam productionem substantiæ naturalis modo supernaturali, & desitionem: nam productio habet terminum posituum, qui per propriam speciem & imaginem potest euidenter, & directe in se videri: carentia vero non videtur in se directe posituè, sed per formalem vel virtuales difficultas, inferendo rem non esse, quia non videtur: quæ illatio non semper est euidens, quando illa carentia cognitionis potest habere aliam causam eiusdem rationis & ordinis. Vnde non est eadem ratio de omni alia absentia substantiæ, quæ fit per naturalem desitionem, seu corruptionem: quia ibi videri possunt causæ & principia corruptionis: & alioqui nulla videntur principia, seu naturales causæ, quæ ad existentiam talis substantiæ sufficiant: & ideo euidens est, talem substantiam non esse: quia, licet posset contingere, vt aliter res se haberet, Deo supernaturali virtute impediente, vel immutante ordinem rerum naturalium; tamen hoc non tollit naturalem euidenciam, quando nullum est principium, vel fundamentum in natura ad suspicandum, vel iudicandum, ibi interuenire aliquem supernaturalem effectum: at vero in præsentem nullum apparere potest principium desitionis huius substantiæ: imò aliunde videtur euidenter adesse sufficientes dispositiones, & causæ ad conseruandam illam substantiam, nullumque adesse principium sufficiens naturale desitionis eius. Vnde fit euidens, illam non desuisse naturaliter, & consequenter etiam est euidens, carentiam intuitionis eius, non esse sine aliqua supernaturali causâ vel mysterio: & ideo non potest definite ferri naturaliter, quo modo supernaturalis causâ id effecerit, cum possit variis modis illud præ-

Franc. Suarez Tom. 3.

stare. Et hæc de cognitione per extrinsecos effectus.

Superest præcipua quæstio de cognitione rei directæ per propriam speciem & naturale lumen: quodcunque illud sit. Potest autem de duobus dubitari, quæ sectione præcedente distinximus, scilicet, vel de præsentia corporis Christi sub sacramento, vel tantum de existentia eius in rerum natura: sunt enim hæc duæ quæstiones valde diuersæ. Prima est an angelus, verbi gratia, per species suas naturales possit naturaliter videre corpus CHRISTI esse sub speciebus panis, intiendo illud ibi, circa quam multi affirmant, posse angelum virtute naturali cognoscere euidenter, & in se hoc mysterium, intiendo corpus Christi sub speciebus, & modum existendi, quem ibi habet. Ita tenet Scotus in 4. distinct. 10. quæstio. 3. Maior, quæst. 5. Palacius disputat. 3. concl. 7. Ocham. in 4. q. 5. Gab. lect. 45. in Can. Egidius Theorem. 16. Fundamentum huius sententiæ est: quia nihil est in corpore Christi, prout est in Eucharistia, quod late-re possit naturalem virtutem angeli, præter modum existendi: sed hic non: ergo. Probatur minor primo, quia ille modus est res quædam finita: ergo non est cur necessario excedat in ratione intelligibilis naturalem virtutem intellectuam angeli. Secundo, quia si quid oblatet, maxime, quia supernaturaliter fit: sed hoc non refert: quia etiam duo corpora se penetrantia in eodẽ loco supernaturaliter ita constituuntur, & tamen postquam ita sunt, possunt ab angelo virtute naturali videri: ita vero se habent omnes partes corporis Christi hic, vt supra vidimus ex horum authorum sententia. Tertio, addunt hi auctores, nihil creatum esse simpliciter supernaturale, sed tantum respectuè, scilicet, respectu huius vel illius naturæ, vt in præsentem: modus hic existendi, quamuis sit supra naturam corporis, tamen absolute non est quid supernaturale: quia non est supra naturam angeli, non ergo repugnat ab angelo naturaliter cognosci. Præfertim, quia secundum Scotum, angelus accipit species à rebus: poterit ergo accipere etiam à corpore Christi sic existente. Tandem maxime videtur virgere argumentum de Christi anima: modus enim existendi, quem in sacramento habet, non est illi supernaturalis: quia naturale illi est, esse totam in toto, & in qualibet parte: ergo poterit angelus intueri animam Christi hic: ergo & vnionem eius ad corpus: ergo & corpus ipsum, quasi per concomitantiam, vt sic dicam.

Nihilominus dicendum est, non posse intellectum creatum virtute naturali videre modum existendi, quem corpus Christi habet in sacramento, & consequenter neque intueri corpus Christi, vt est sub speciebus, seu cognoscere clare, quod ibi fit: hæc enim omnia sunt inter se connexa: quia ille modus essentialiter nihil aliud est, quam præsentia, quam hic habet: quæ præsentia est ratio existendi hic, & ideo nisi modus ipse in se videatur, non potest clare videri corpus sub speciebus existere. Hanc ergo conclusionem tenet D. Thom. hic, & Bonauent. in 4. dist. 10. quæst. vltim. Richar. artic. 5. q. 1. Durand. q. 4. & Thomistæ omnes, Paludanus, Capreolus, Heruæus, Soto, Caietanus, & Henric. quodlib. 11. qu. 12. Antonin. 3. part. tit. 13. capit. 6. §. 13. Et probatur primo, supponendo, intellectum corpori coniunctum non posse accipere species à corpore Christi, vt hic existit, vt ex supra dictis patet, quia non potest recipere species nisi per sensus: sensus autem non possunt immutari à corpore Christi vt est hic: intellectum autem separatum, non accipere species à rebus, sed habere illas congenitas: & consequenter solum posse naturaliter cognoscere ea, quorum habet naturales species congenitas, seu quorum species ei debentur ex natura rei, quod suppono ex prima parte. Tunc sic: intellectus angelicus (& idem est de quodlibet creato) non habet ex natura sua speciem illius modi, quo Christus

Kkk existit

Quorundam opinio.

Scotus, Maior, Palac., Ocham., Gabr., Egid.

Creatus intellectus naturalis virtute nec modum quem in Eucharistia habet Christi corpore nec corpus ipsum ibi esse cognoscere potest. D. Thom., Bonauent., Richar., Durand., Paludanus, Capreol., Heruæus, Soto, Caiet., Henric., Antonin.



existit in sacramento : quia talis species non debetur ei ex natura rei : ergo non potest illum naturaliter cognoscere : antecedens patet primo , quia ille modus est supernaturalis simpliciter , vt supra ostensum est : non enim pertinet ad naturalem ordinem : angelo autem solum debentur species rerum pertinentium ad ordinem naturae . Secundo , quia angelus , aut cognoscit accidentia per species ipsius substantiae , seu subiecti , aut per distinctas & proprias species : priori modo non cognoscit hanc praesentiam sacramentalem per speciem corporis CHRISTI naturalem : quia talis modus non habet coniunctionem naturalem cum corpore Christi , sed potius ex natura rei videtur ille repugnare , maxime comparando hunc modum ad quantitatem ipsam . Posterior autem modus cognoscendi accidens per propriam speciem distinctam ab specie subiecti , vel non est connaturalis angelo , vt multi putant , vel , ad summum , pertinet ad naturalem ordinem intelligendi , quando accidens reale est , vt conueniat subiecto secundum naturalem capacitatem eius , ita vt ex illo , & accidente resultet vnum compositum naturale , pertinens ad naturae ordinem . Tercio , quia ea , quae potest angelus naturaliter inueniri , quando existunt , potest etiam , naturaliter cognoscere esse possibile , antequam existant , cognoscendo eorum essentiam & naturam per proprias earum species : sed non potest angelus cognoscere hoc mysterium esse possibile , nec scire rationem & essentiam huius praesentiae sacramentalis , priusquam fiat : quod Deus decreuisset , nunquam hoc mysterium facere , fortasse nunquam ascendisset in cogitationem angeli illud esse possibile : vnde Sancti Patres illud vocant ineffabile , & supra omnem intellectum .

Ensiso.

Dici autem potest , dupliciter posse angelum cognoscere hunc modum : primo per speciem quantitatis , quia per illam videtur quantitas corporis Christi existens , & non cum proprio modo : ergo cum alio illi repugnante : sunt enim hi duo modi immediate oppositi , nec potest vnus , nisi per alium excludi . Sed in primis adhuc incertum est , an per illam speciem videatur quantitas existens ex vi solius existentiae , quam habet in sacramento . Deinde illo dato , non recte inferitur ex negatione posituum , id est , ex eo , quod angelus non videat modum extensum , videre modum inditensibilem , vt patere potest ex dictis sectione praecedente : & constat etiam in humanitate CHRISTI quae naturaliter videbatur existens ab angelo , & in ea non videbatur modus propriae substantiae : & non propterea videbatur modus vnionis ad aliam substantiam , cum tamen duo illi modi , etiam sint immediate oppositi , & vnus non nisi per alium excludatur . Et ratio est , quia , licet respectu ipsius rei ita sit , tamen respectu cognitionis potest per solam abstractionem , seu praecisionem : vnum cognosci sine alio , sicut paulo antea dicebamus , interdum posse modum seu proprietatem alicuius rei latere , seu non cognosci : non quia in re non sit , sed quia cognitio ad illam non extendatur , vel ex defectu virtutis , vel ex alio impedimento .

Alia uasio.

Quocirca , cum hic modus sit aliquid impositiuum , & alterius ordinis a quantitate corporea , non est verisimile , posse videri per solam speciem naturalem quantitatis absque alio principio . Secundo ergo modo dici potest , hunc modum praesentiae conuenire in communi ratione sua cum modo substantiae spiritualis , quae tota est in toto , & tota in qualibet parte , cuius angelus habet propriam speciem : & hoc satis esse , vt angelus vtendo simul illa specie , & specie corporis possit cognoscere illum modum , vt existentem in corpore . Sicut , si Deus poneret formam caeli in materia ignis , vel formam ignis in materia caeli : quamuis angelus non habeat vniam speciem naturalem , representantem illud compositum :

coniungendo tamen species partium , & simul illis vtendo , posset illud cognoscere . Sed in primis valde dubito de veritate exempli : quia , sicut totum non dicit tantum partes , sed praeterea vnionem earum ; ita ad cognoscendum totum , non satis est habere species partium , nisi ad sit species , quae vnio earum representetur : vnio autem inter materiam caeli , & formam ignis per nullam speciem naturalem representatur . Praeterea in praesente est specialis ratio : nam hic modus praesentiae in corpore Christi , licet secundum quandam communem rationem videatur conuenire cum spirituali modo angelorum , tamen re ipsa , in specifica ratione est valde diuersus , quia reuera est materialis , & habet extensionem quandam ex parte subiecti , quamuis habeat in extensionem in habitudine omnium partium ad idem partium , ac tandem illud compositum ex corpore , & tali modo est omnino praeter ordinem naturae : vnde nec per vniam , nec per plures species naturales representatur .

Ad fundamenta ergo respondetur . Ad primum negando consequentiam : quia , licet res sit finita , hoc ipso , quod ad ordinem naturae non pertinet , factis est , vt excedat naturalem virtutem intellectum angeli . Dices , haecenus probatum non esse , hunc modum non posse cognosci ab angelo ex defectu virtutis intellectivae , sed ex defectu specierum : quod videtur valde diuersum : nam , licet de modis huiusmodi speciem non esse angelo naturaliter debitam , tamen , si illi datur , naturali virtute poterit illa vi ad cognoscendum talem modum : non ergo deest illi virtus intellectualis proprie loquendo . Respondetur , hunc esse alium modum dicendi , & respondendi , alius fortasse probabilem : mihi tamen non probatur , nec videtur consequenter dictum : quia , vt Philosophus ait , omni potentia passivae naturaliter respondet potentia actiua naturalis : vnde si angelus haberet naturalem virtutem ad cognoscendum hunc effectum , deberet respondere illi aliquid principium naturale , quo posset capacitas eius naturalis in actum reduci : & consequenter illi esset debita species , tanquam actus primus , & proprium principium , quo posset comparare actum secundum : dico ergo , sicut species est supernaturalis angelo , ita etiam requireret lumen intellectuale superioris ordinis , quo posset tali specie vt , vt latius in genere tractavi in primo tomo disputando de scientia beata , & infusa anima CHRISTI . Ad secundum respondetur , hunc modum , non solum esse supernaturalem in modo , quo fit , sed in se , & in facto esse : neque est simile de penetratione corporum , vt saepe dixi . Ad tertium respondetur , illud dogma esse falsum : sunt enim multae res simpliciter supernaturales , & hic modus secundum propriam speciem suam nulli rei potest esse connaturalis : quia , neque corporibus , vt per se constat , neque spiritibus : quia vt dixi , est longe diuersae rationis a naturali modo illorum . Ad vltimum de anima , probabile valde est posse angelum vel animam separatam , videre animam Christi existentem sub speciebus sacramentalibus , quoad substantiam eius , existentiam , & localem praesentiam : non tamen inde sit posse videre corpus : quia sunt res distinctae , & nihil repugnat videri vniam non visa alia , si in vna est impedimentum , & non in alia : de vnione vero ad corpus probabilis est non posse videri naturaliter , vel quia non potest videri non viso corpore , vel certe , quia illa vnio ex natura sua coextenditur corpori : vnde etiam respectu illius , modus ille existendi totam in toto , & in qualibet parte , est supernaturalis : & ideo ratione talis modi videri non potest , prout est in sacramento , nec repugnat videri animam cum sua praesentia locali , non visa vnione : quia sunt ex naturae rei distinctae , sicut humanitas Christi , videtur existens , & praesens , non visa vnione eius ad Verbum , vt paulo antea dicebamus .

Hinc

Dubium

Hinc vero oritur secunda quaestio supra proposita, videlicet, si fingeremus Christi corpus non existere alibi in rerum natura, nisi in sacramento, vtrum angelus per naturalem speciem, quam habet corpus Christi, possit naturaliter cognoscere illud corpus existere in rerum natura, esto: non possit cognoscere vbi, vel quomodo existat: authores enim non tam distincte hoc disputant, multi tamen ex citatis, p. nostra sententia absolute videntur negare omnem cognitionem corporis Christi ex vi talis existentiae: & potest suaderi: quia visio rei existentis per propriam speciem non potest esse nisi intuitiva: visio autem intuitiva non satis concipitur, nisi res alicubi praesens videatur: quia haec est conditio maxime intrinseca & inseparabilis a productione, & existentia rei: non enim potest res produci, nisi alicubi producat, & vt supra dicebam, cum cognitio intuitiva tendat ad naturalem existentiam, vt sic, non videtur posse naturaliter separari a conditionibus necessariis ad existendum.

Sententia

Sententia

Exph.

Nihilominus Caietan. hic articul. 7. ad primum Scoti, sentit, posse angelum per speciem & lumen naturale cognoscere existentiam corporis Christi, quavis non videat modum, quem in sacramento habet, idem significat Aegid. Theorem. 29. & potest declarari exemplo Incarnationis, quo saepe vsi sumus, nam demon videt Christi humanitatem existentem, praesens in modo subsistentiae, vel vnionis: ergo eadem ratione posset videre corpus Christi existens, praesens in modo praesentiae: probatur consequentia quia naturae substantiali actu existendi tam intrinsecus est ex natura rei modus subsistentiae, sicut modus praesentiae ipsimet substantiae, vel quantitativae: imo quodammodo videtur magis intrinsecus, quia est substantialis, & ad complementum substantiae pertinet: & aliunde etiam, tam necessarium est, vt natura substantialis habeat alterum ex his duobus modis, subsistentiae vel vnionis, sicut est necessarium, corpus quantum habere hanc vel illam praesentiam: est ergo eadem ratio. Neque enim refert, si dicatur, praesentiam esse modum absolutum, & independentem ab alio, vt subiecto, & termino, praeterquam ab ipso corpore quanto: & ideo necessarium esse simul cum illo cognosci: modum autem vnionis esse quodammodo respectivum, & dependere a Verbo, sine quo videre non potest: haec enim differentia, quamuis, quoad aliquid vera sit, parum referre videtur ad praesentem causam. Tum quia, licet modus vnionis terminetur ad Verbum, potest fortasse videri, non viso Verbo intuitiue, sed tantum abstractiue, sub ratione personae terminantis illum modum vnionis: tum etiam quia, licet concedamus, hoc titulo esse minus cognoscibilem modum vnionis virtute naturali, nobis satis est, quod etiam ratione supernaturalitatis, vt sic, cognosci non potest: & haec ratio sufficit, vt possit videri natura existens. Non viso vnionis modo: sed eadem ratio locum habet in modo praesentiae sacramentalis, quia supernaturalis etiam est: ergo eadem ratio: Tum denique, quia argumentum illud ostendit, ex parte obiecti non esse repugnantiam, quo minus naturaliter videatur existentia alicuius rei, non viso modo eius, siue absolutus sit, vt est subsistentia, siue respectivus, vt vnio: ergo si ex parte potentiae est sufficiens principium ad videndum existentiam, & non modum, non repugnabit, videri vnium, non viso alio, siue ille modus sit absolutus, siue respectivus: imo siue naturalis sit, siue supernaturalis, vel etiam si in re ipsa desit, siue non, nam etiam in natura habente propriam subsistentiam posset Deus facere, vt angelus videret existentiam talis naturae, & non subsistentiam, vel non dando speciem magis representantem, vel non magis concurrentem. Atque hinc sumitur ratio a priori huius sententiae, quia existentia, & modus praesentiae sunt ex natura rei distincta, & existentia est secundum se prior, & alioqui ex Franc. Suarez Tom. 3.

parte angeli est sufficiens principium naturale ad cognoscendam existentiam: scilicet, species propria illius corporis, & naturale lumen: & non habet principium ad cognoscendum modum praesentiae: ergo potest naturaliter cognoscere substantiam, & existentiam talis corporis, & quantitatem eius independentem a modo praesentiae. Et confirmatur, quia intellectui, cum sit spiritualis potentia, non repugnat praescindere rem a modo, & existentiam a praesentia locali, siue illa cognitio vocetur simpliciter intuitiva, siue secundum quid, quia terminatur ad existentiam, vt actu exercitam, & secundum quid abstractiua, quia praescindit ab aliqua conditione existentiae.

Approbat
Explicatur
secundum
sententiam.

Atque haec posterior opinio videtur efficacioribus niti fundamentis, & difficultatibus omnibus satisfacere. Solum addo, quando corpus Christi existit, non solum in sacramento, sed etiam extra, modo naturali, & quantitativum, angelum per speciem eius naturaliter videre illud in propria specie existens, quia totum illud obiectum cadit sub illam speciem & proprium actum eius: vnde non posset tunc angelus lumine naturali per illam speciem cognoscere, corpus Christi alibi existere, quasi iteratum seu repetitum, quia in hac multiplicatione praesentiae, non multiplicatur existentia substantiae, vel quantitatis, sed est prorsus eadem: ergo angelus per naturalem speciem illius corporis, quatenus repraesentat existentiam eius, non potest cognoscere illam existentiam, vt replicatam: seu per modum plurium, sed praecise vt vnium. Rursus per illam speciem, quatenus repraesentare potest praesentiam localem, non repraesentatur, nisi vna praesentia, scilicet, naturalis, non autem sacramentalis, nec per illam, nec per aliam speciem, vt supponimus: ergo nullo modo potest angelus naturaliter cognoscere corpus Christi esse in rerum natura, quasi bis existens quod proprius dicitur bis praesens: & consequenter, si alicubi videt illud praesens, scilicet, vbi ex modo naturali, non potest naturaliter percipere, an alibi existat. Et hac ratione, loquendo de facto, nullus angelus potest lumine naturae cognoscere existentiam corporis CHRISTI, ratione sacramentalis praesentiae, quia semper potest videre illud in propria specie existens: si autem fingeremus, corpus CHRISTI omnino amittere naturalem, seu quantitativam praesentiam, conseruata sacramentali: tunc posset angelus per alium actum percipere, corpus Christi adhuc manere existens in rerum natura, quamuis ipse non videat, vbi sit.

DISPUTATIO LIV.

De modo, quo Christus desinit esse sub speciebus sacramentalibus.



Disputationem hanc breuissime attigit D. Thom. in hoc artic. 6. ceterique Theologi per pauca de illa disputant: habet tamen non parum difficultatis: & ideo diligentius examinanda est, optimeque in hunc locum cadit: est enim hoc fere postremum, quod de hac Christi praesentia desiderari potest.

Disputatio
16. de Eu-
charistia.

SECTIO I.

An corpus Christi, cum in Eucharistia esse desinit, mutetur, acquirendo aliquid, vel amittendo.

Prima sententia esse potest, corpus Christi in huiusmodi desitione nullo modo mutari, sed mutationem totam fieri circa species, & ab ea denominari corpus Christi, desinens esse sub speciebus.

Kkk 2 Hæc